

cundum, ut fuerit destinatus ad aliquod certum servitium; Rota part. 1. recent. dec. 584. n. 3. (45. Barbosa loc. cit. n. 15. Triennium, in quo Familiaribus commorandum est cum Episcopis ad effectum, ut possint ordinari, sufficit, quod inceperit antequam fuissent Episcopi. Sic decisum fuisse referunt Garcias cit. cap. 5. n. 83. Barbosa loc. cit. alleg. 5. n. 8. et super Tridentin. sess. 23 de Reformat. cap. 9. num. 9. et plures alii ibi citati. (46. Et sic pariformiter est dicendum de triennio Familiarium Cardinalium. Triennium hujusmodi debet esse continuum; Campanil. in *Diversor. Juris canonici* rub. 9. cap. 9. n. 12. Navarr. in *Singul. canon.* concl. 103. n. 3. Barbosa d. alleg. 5. n. 9. et super Trident. loc. cit. n. 8. cum aliis ibi citatis.

(47. Familiares duos Canonicos sive de Cathedrali sive de Collegiata, et non plures pro servitio suæ Diœcesis assumere potest Episcopus; Sacra Congr. Concil. in Coloniens. 9. Septemb. 1628. (48. Familiaris Episcopi Canonicus, quem ille declaravit velle pro servitio suo retinere, lucratur integros fructus suæ præbendæ, quamvis numquam accesserit ad Ecclesiam, nec primam residentiam a statuto illius Ecclesiæ requisitam fecerit; Sac. Cong. Concil. in Compost. 2 Julii 1633. (49. Familiares Episcopi etiam si sint Laici gaudent privilegio Fori; S. Cong. Episcop. et Regul. in Regien. 15 Febr. 1581. et in Turrutana 18 Maii 1603, et Sac. Congreg. Immunit. in una Montis Politiani 15 Jul. 1647. ubi declaravit ipsos Familiares Episcopi gaudere privilegio Fori, et posse deferre arma. (50. Familiares etiam Episcopi Titularis gaudere debent privilegio Fori, ita tamen ut conveniri debeant, et sint puniendi ab Ordinario loci, ubi degunt, non vero ab Episcopo, seu Archiepiscopo Titulari; Sac. Congreg. Immunit. in Regiens. 17 Jan. 1628. (51. Familiares Episcopi, et Ministri suæ Curia sunt omnino exempti a Foro Laico, Sac. Congregat. Immunit. in Adjacen. 11. Jun. 1704. Etiam Familiares Eminentissimorum Cardinalium gaudent privilegio Fori; Sac. Cong. Immunit. in Cæsaten. 30 Jul. 1680. (52. Episcopi tenentur dare nomen suorum Familiarium Curia Laicali; Sac. Congr. Immunit. in Panormitana 16 Aug. 1634. (53. Cognitio causæ Familiaris actualis Archiepiscopi, scilicet Pincernæ, deferentis arma prohibita vigore Edicti publicati a Curia Legationis spectat ad Forum Ecclesiasticum; Sac. Congreg. Immunit. in Ravennat. 17 Decemb. 1680. (54. Quoad incarcerationem Præfecti Camerae Nuncii factam a Curia Laica ob delationem armorum prohibitorum, licet die sequenti exarcerati de ordine Regis, Nuncius declaret Excommunicatos et carcerantes, et Corrigitorem, qui ordinavit, ut detineretur in carceribus; Sac. Cong. Immunit. in Ulyssipon. 6 Junii 1730. (55. In eadem causa datur Nuncio facultas absolvendi Corrigitorem, et alios carcerantes Præfectum Camerae d. Nuncii qui ob hanc causam missi fuere in exilium a Rege; Sac. Congr. Immunit. in Ulyssipon.

16. Februar. 1681. (56. Ob attentata facta a Regiis ministris in Personam Familiaris Archiepiscopi, scilicet Aurigæ, carcerati, processati, et justitiati, iidem Ministri Regii fuere ab eodem Archiepiscopo absoluti in forma Ecclesiæ consueta. Ex decreto Sac. Congreg. Immunit. in Neapolitana 22. Julii 1660. (57. FISCALIS, quem Episcopus tenet in aliqua Civitate vel Castro in quo spirituales, et temporales jurisdictionem exercet, tamquam ipsius Episcopi Familiaris gaudet privilegio Fori; Sac. Congreg. Episcop. 11. Decembris. 1626.

(58. Familiares, et Ministri Inquisitionis fruuntur indulgentiis, aliisque privilegiis tam spiritualibus, quam temporalibus concessis Crucesignatis. Paramus de *Origin. Inquisit.* lib. 2. tit. 1. cap. 3. num. 8. et cap. 4. per tot. Carena p. 1. de *Offic. Inquisit.* tit. 14. § 6. n. 25. card. Petra tom. 4. *Comment. in Constit.* 19. *Innocentii IV.* n. 3. et alii passim. (59. Et præsertim possunt deferre arma; Cardinal. Petra *ibidem.* n. 4. Familiares Inquisitionis fruuntur privilegio Fori inquisitionis. (60. Ita communis apud Paramum l. cit. lib. 3. q. 6. num. 27. et Card. Petram loc. cit. num. 5. et 6. et plurimos alios ibi citatos (61. Familiares, et ministri Inquisitionis in Officio delinquentes puniri debent privative ab Inquisitore, ut statuitur in Clement. 2. de *Hæretic.* et notant Gonzalez in c. *Dilecto de Offic. Archidiacon.* num. 12. Decian. *Tract. crimin.* lib. 5. cap. 22. Bobadil. in *Polit.* lib. 2. c. 17. num. 127. Petra loc. cit. num. 9. et pluries a Suprema inquisitione resolutum refert. Card. Albitius de *Inconst. fide* cap. 29. num. 48. (62. Familiares, et Ministri censentur in Officio delinquere, si in usu armorum delinquant, et per hoc puniri debent ab Inquisitore; Carena loc. cit. tit. 14. § 4. Card. Albit. cit. cap. 29. num. 10. Card. Petra loc. cit. n. 10. (63. Tales Familiares, et Ministri necessarii Inquisitioni, ii scilicet, sine quibus Inquisitores eorum munus commode explere nequeunt, gaudent privilegio Fori, etiam si extra Officium delinquant. Sic in casu Nuntii inquisitionis Senensis fuisse discussum in Suprema inquisitione, refert Card. Albit. cit. c. 29. num. 48. vers. *Ministri*, et vers. *Et in puncto*, et cum pluribus aliis tenent Card. Petra loc. cit. num. 22. (64. Familiares, et Ministri inquisitionis, sicuti nec ipsi inquisitores, si sint Beneficiati, in eorum absentia non lucrantur de jure distributiones, nisi ad id speciale privilegium obtinuerint. Sic pluries resolvit Sac. Cong. Concilii, et signanter in Toletana 4. Junii 1593. lib. 8. dec. pag. 40. et in Mediol. 4. Febr. 1635. lib. 15. dec. pag. 136. (65. Familiares, et ministri Inquisitorum non satisfaciunt præcepto annuæ Communionis per hoc quod in Communionem Generali fieri solita Feria V. in Cæna Domini, ab inquisitoribus Eucharistiam sumpserint, sed illam sumere debent a proprio Parocho, ut resolvit Sac. Congr. Concil. in Neapol.

tana 3. Julii 1666. (66. Familiares, domestici, et continui commensales in Monasteriis Regularium degentes satisfaciunt præcepto Paschali recipiendo Eucharistiam ab ipsis Regularibus. Vid. verb. *Eucharistia* num. 17.

(67. Familiares Episcoporum illi solum gaudere debent privilegio Fori, quos in jure, et justa consuetudine loci cujuslibet, usque ad hunc diem pro Familiaribus, et Officialibus habitos, et deputatos esse, et haberi, ac deputari solitum est. Bened. XIV. tom. 1. Const. 85. incip. Alias § 9.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Agit hic Auctor de Familiaribus Papæ, Cardinalium, tum Episcoporum, at parce pro vastitate materiae. Disserere de iis omnibus latius possemus, sed ne nimis, de Familiaribus tantum Episcoporum verba faciemus.

(68. Ex consuetudine primum Episcopi ordinare cœperunt Familiares suos triennales, quamvis nec originis, nec domicilii, nec Beneficii ratione sibi subditos; Gallier de *Sacr. Elect. et Ordinat.* part. 2. cap. 3. § 2. ubi quod hæc consuetudo ortum habuit a Concilio Arausicano 1. sub Leone Papa I. celebrato. (69. Consuetudinem hanc approbarunt deinde Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 9. de *Reformat.* et S. M. Innocentius XII. in celebri constitutione, quæ incipit: *Speculatores*; sed certis additis conditionibus. Et constitutionem hanc comprehendere etiam Cardinales Episcopos, ut nequeant Familiares suos ordinare non servatis Legibus ab ipsa præscriptis, refutato Moreno, probat Monacell. in *Formular.* tom. 3. pag. 231. num. 46. et sequent.

(70. Plura vero concurrant oportet, ut Episcopus ordinare valeat Familiares suos triennales. I. Quod ordinet cum Litteris testimonialibus Episcopi originis, seu domicilii. Idque additum fuit a dict. Constitutione, et a Sac. Congregat. Concilii interp. in Laquedoniens. seu Bituntina Ordinationis 16. Novembris 1709.

II. Quod triennium sit continuum, nec notabili aliquo spatio temporis interruptum, ut refutato pariter Moreno firmat Monacell. in *Formular.* pag. 232. n. 43. et seq. Sufficit vero, quod triennium sit inceptum ante promotionem ad Episcopatum, ut rejecto Lamperez probat Riganti in *Comment. ad Regul. Cancellar., reg. XXIV.* § 3. a num. 14. ad plur. sequent.

FAMULI, FAMULÆ.

SUMMARIUM.

1. Famuli, et Famulæ Monialium nullum habent privilegium sumendi Sacramenta, neque Sepulturam habendi in Ecclesia Monialium; sed subijciuntur Parocho, sicut ceteri Parochiani. — 2. Famuli Regularium, qui non sunt eorum commensales, sed cum Sæcularibus exteris extra Monasteria habitant, subjacent quoad Sacramenta et sepulturam proprio Parocho, ac alii Parochiani. — 3. Famuli autem, qui sunt continui Commensales in Monasteriis Regularium degentes, subjacent omnino ipsi Regu-

III. Quod familiaris toto triennii tempore manserit sub his, oculis et presentia Episcopi, illius obsequio, et servitio addictus. Quare si manserit extra Diœcesim, et Civitatem in qua Episcopus residet, quamvis expensis Episcopi, non poterit ab eo ad Ordines promoveri; Monacell. *eodem loco* pag. 233, n. 57, ubi refutat Morenum, qui tenet Familiarem non in ædibus Episcopalibus, sed tantum intra Diœcesim Episcopi domini sui, aut licet extra Diœcesim, prope tamen ipsum manentem, non prohiberi ad Ordines ratione absentia promoveri. Cohabitatio vero in eodem palatio Episcopali non requiritur, ut, reprobato Lamperez, firmat Riganti ubi supra num. 131. Nequit autem Episcopus, ut recte monet Auctor num. 36. Nepotes, et consanguineos secum simul in eodem Palatio, etsi per triennium habitantes, et ab ipso victum recipientes, ordinare, nisi revera inserviant, ita ut sint Familiares. De eo vero quæstio est an Episcopus ordinare valeat Familiarem triennem Familiaris sui. Et affirmat Riganti eodem loco, num. 163 et seq. dummodo Subfamiliaris ille vivat expensis ipsius Episcopi, et sub ejus oculis una cum Familiari semper manserit.

IV. Quod conferat ordinato intra mensem a die factæ ordinationis Beneficium sufficiens ad congruam sustentationem juxta taxam Diœcesis ejusdem Episcopi domini, et ea deficiente juxta morem Regionis. Quod si Beneficium sit tenue, nequit quod deest suppleri adjectione patrimonii, vel etiam pensionis, et quidem non obstante necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. Cæterum si Episcopus Familiari seu Clerico, ante completum triennium familiaritatis, Beneficium sufficiens conferat, non prohibetur illum ulterioribus Ordinibus insignire triennio nondum elapso. Hoc enim casu ordinatio non sequitur ratione familiaritatis, sed Beneficii, Riganti. loc. cit. num. 161.

(71. Reliquum est, ut examinemus an Episcopus, sicuti potest ordinare Familiarem suum triennem, ita impertiri ipsi possit litteras dimissoriales ut ab alio Episcopo ordinari valeat. Negat post alios Ferosin. in cap. *Quoad translationem* quæst. 5. num. 28. de *Tempor. ordin.* At cum Auctore affirmat Riganti ubi supra num. 167. et plur. seq. Idque quia si licet Episcopo, quod plus est, ordinare, licere debet, quod minus est, concedere dictas litteras dimissoriales.

laribus quoad Sacramenta, et Sepulturam. — 4. Famuli, et Famulæ tenentur suis Dominis aliquo modo prestare ea quæ filii præstant parentibus. — 5. Hinc peccant graviter, et tenentur ad compensationem damni, si non laborant, nec servant juxta debitum. — 6. Item graviter peccant, si grave damnum inferant, vel inferri permittant, cum impedire possint. — 7. Et si tale damnum inferatur in rebus, quarum cura est eis specialiter commissa, tenentur insuper ad restitutionem. — 8. Item graviter peccant, si sine gravissima causa discedant a Domino ante elapsam terminum. — 9. Item graviter

peccant si in rebus magni momenti non obediunt Dominis suis. — 10. Item graviter peccant esculenta, et poculenta domo asportando, aut vendendo, et licet hæc solum per pauca furta faciant magnam summam totalem, adhuc sub mortali tenentur ad restitutionem. — 11. Excusantur tamen facilius, si ea domi consumant, et non sint in magna quantitate, nec sint Domini expresse inviti. — 12. Famulus illicite cooperatur peccato Domini per actiones, quæ per se, et proxime ad illud peccatum concurrunt. — 13. Etiam peccat ponendo actiones de se indifferentes quoties hic, et nunc sunt proxime ordinate ad peccatum. — 14. Etiam probabilius peccat mortaliter tales actiones multoties ponendo; nec potest a culpa excusari ob quemcumque metum. — 15. Item peccat Famulus, qui scribit, vel ad alterum deferri litteras, aut nuntia directe tendentia ad peccatum. — 16. Si Famulus dubitet, an litteræ deferendæ contineant turpia, vel aliquid intrinsece malum, licite potest eas deferre. — 17. Famuli et famulæ, coacti laborare die festo, si non audeant recusare, ex quo prudenter timeant se posse Dominos suos ad gravem indignationem commovere, et inde sibi magna evenire incommoda, possunt aliquoties licite laborare: quod si tamen frequenter contingit, eos deserere debent. — 18. Famuli et Famulæ excusantur ab audienda Missa die festo, si ministerium, quod præstant, secundum communem æstimationem et vivendi modum sit necessarium, et non permittat audiri Missam. — 19. Famuli et Famulæ nequeunt licite famulari Judæis in propriis domibus. — 20. Licite tamen eis famulari extra

(1. Famuli, et Famulæ, quæ inserviunt Monasteriis Monialium, quamvis exemptarum, nullum habent privilegium; sed, sicuti cæteri alii Parochiani, tenentur adimplere præceptum Paschale in Ecclesia Parochiali, et ibi sepeliri debent, si alibi non elegerint sepulturam, nec habeant proprium sepulchrum majorum. Ad proprium Parochum spectat eisdem ministrare Sacramenta, dum sint infirmi, et ad Sepulchrum eosdem associare, non autem ad Confessarium Monialium, ut respondit Sac. Congreg. Concil. in una Leodien. 24. April. 1685. et in alia Spolejana 19. April. 1691. in casu inter Famulas Monialium S. Matthæi Congr. Lateranensis, quæ habitabant in domo exstructa inter Cortile, sive atrium Monasterii, et Parochum S. Martini, intra cujus Parochiæ limites Monasterium existit; et novissime in Ulixiponen. occidentali 19. Sept. 1722. (2. Famuli Regularium qui tantum ipsorum Monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de Familia, nec continui commensales, et cum sæcularibus exteris extra Monasteria habitant, subjacent quoad Sacramenta, et sepulturam proprio Parocho, sicuti cæteri alii Parochiani. Vid. verb. *Approbatio*, num. 69. et verb. *Eucharistia*, n. 18. (3. Famuli autem, qui sunt continui commensales in Monasteriis Regularium degentes, subjacent omnino ipsis Regularibus quoad Sacramenta, et Sepulturam independentes ab Episcopis, et Parochis. Vid. verb. *Approbatio* a num. 66. ad 68. et d. verb. *Eucharistia* num. 17.

(4. Famuli et Famulæ tenentur suis Dominis aliquo modo præstare ea, quæ filii parentibus, scilicet amorem, reverentiam, et obedientiam; sunt enim illis quasi loco parentum. Est communis cum S. Thom. 1. 2.

propriis domus, v. g. conducî ad operas, esse Colonum, vel Agricolam. — 21. An liceat die sabbati eos adire, et illis coquere, et alia ministeria præstare. — 22. Non licet famulari hæreticis, si ob conversationem illam Famuli, et Famulæ sint in periculo proximo deficiendi a Fide, sed tales tenentur statim discedere cum quocumque etiam incommodo. — 23. Nec etiam licet famulari hæreticis, si famuli, et famulæ impellantur ab observantia præceptorum Ecclesiæ. — 24. Possunt tamen famuli licite famulari hæreticis, nec tenentur ipsos deserere, quando impediuntur ab observantia præceptorum Ecclesiæ ex justa causa. — 25. Famuli, et Famulæ priusquam se obligent famulari hæreticis, debent expresse pacisci quod non impediuntur observare præcepta Ecclesiæ, aliter se exponerent proximis periculis illa non servandi, et sic peccarent. — 26. Famuli, et Famulæ, quamvis judicent salarium suum esse nimis parvum, non possunt retinere pecuniam aliunde suis Dominis debitam. — 27. Nec Famuli, et Famulæ Sartorum, licet judicent salarium suum esse nimis parvum, possunt retinere fragmenta panni, fila serica, et alia hujusmodi. Et idem dicendum videtur de ipsismet Sartoribus, si invitis illis, qui vestes constituunt, retineant ejusmodi reliquias. — 28. Quando autem Famuli, et Famulæ possint, vel non uti occulta compensatione, *Remissive*. — 29. Quando, et de quibus Famuli, et Famulæ possint facere elemosynam? *Remissive*. — 30. ad 31. De Sacramentorum administratione Famulis Regularium.

quæst. 203. Reginald. lib. 20. n. 62. (5. Hinc peccant graviter, et tenentur ad compensationem damni, si non laborant, et fideliter non serviunt juxta pacta conventa, et juxta conditionem, et qualitatem suæ servitutis; Lessius l. 2. cap. 24. et communis aliorum. (6. Item graviter peccant, si grave damnum inferant, vel inferri permittant, cum impedire possint; Navarr. cap. 4. num. 22. Reginald. loc. cit. et alii communiter. (7. Et si tale damnum inferatur (sive a confamilis, sive ab extraneis) in rebus, quarum cura est eis specialiter commissa, ultra quod graviter peccant, tenentur insuper ad restitutionem; Lessius cap. 13. num. 75. Filliuc. tom. 35. numer. 114. Molina, et alii passim. (8. Item graviter peccant, si sine gravissima causa discedant a Domino ante terminum elapsum. Communis. (9. Item graviter peccant, si in rebus magni momenti non obediunt Dominis. Communis. (10. Item graviter peccant, esculenta, et poculenta domo asportando, aut vendendo, et licet hæc solum per pauca furta faciant magnam summam totalem, adhuc sub mortali tenentur ad restitutionem, unde merito Innocent. XI. 2. Martii 1679. inter alias damnavit sequentem propositionem 38. in ordine: « Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis. » (11. Excusantur tamen facilius, si ea domi consumant, cum in his Domini sæpe tantum sint inviti quoad modum accipiendi elam, non quoad rem; dummodo tamen non sint extraordinaria, et in magna quantitate, vel Domini expresse ipsis prohibeant uti talibus esculentis, et poculentis. Layman, Escobar. cum Busemb. lib. 3. p. 1 tract. 5. cap. 1. dub.

4. num. 10. Less. loc. cit. num. 47. ubi docet, quod furta minima Famulorum ex comestibilibus, quæ claudi non solent, non coalescant, si non ad vendendum, sed ad comedendum tantum accipiantur (1).

(12. Famulus illicite cooperatur peccato Domini per actiones quæ per se, et proxime ad illud peccatum concurrunt; La Croix lib. 2. num. 253. (13. Etiam peccat ponendo actiones de se, et secundum suum esse physicum indifferentes, quoties hic et nunc sunt proxime ordinate ad peccatum, ut admovere scalas, aut humeris sustentare volentem ascendere ad stuprandam Virginem, vel ad occidendum hostem. Viva supra proposit. 51. num. 4. ex damnatis ab Innocentio XI. La Croix loc. c. n. 253. (14. Etiam probabilius (2) peccat mortaliter tales actiones multoties ponendo, nec potest a culpa excusari ob quemcumque metum; Viva loc. cit. num. 4. La Croix loc. cit. n. 254. et ratio est, quia actiones, seu operationes illæ positæ in illis circumstantiis videntur per se, et proxime tendere ad peccatum, unde sunt intrinsece malæ nec possunt ex alia causa cohonestari. Hinc justissime Innocentius XI. 2. Martii 1679. inter alias damnavit sequentem propositionem 51. in ordine: « Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. » (15. Item peccat Famulus, qui scribit, vel ad alterum deferri litteras, aut nuntia directe tendentia ad peccatum, v. g. ad fornicationem, vel Duellum. Ita Sanchez, Bonacina, Rebellus cum La Croix loc. cit. n. 273. Et ratio est, quia, dicunt ipsi, hæc nuntia, et hæc litteræ sunt intrinsece malæ, et sic sentit Viva loc. cit. numer. 5. ubi cum Navarr. contra Sanch. lib. 1. can. 8. num. 12. docet peccare Famulum comitando herum ad lupanar, et comitando concubinam ad domum heri. Immo Viva ibid. num. 5. in fine, nec subscribit sententiæ Sanch. loc. cit. num. 29. putantis, quod sola ratio famulatus sufficiat, ut licite possit Famulus jussu heri deferre concubinam munusculam, aut esculenta; cum enim hæc munuscula, dicit ipse, foveant ignem tartareum, major causa videtur requiri ad reddendas licitas hujusmodi actiones. (16. Si Famulus dubitet, an litteræ deferendæ contineant turpia, vel aliquid aliud intrinsece malum, licite potest eas deferre, quia Famulus tenetur obedire,

(1) Quomodo sententia Laymani, Escobarii, Busembaum, et Lessii sustineri possit post damnationem Propositionis 38. inter damnatas ab Innocentio XI. prorsus ignoro. Scio Theologos, etiam magni nominis, in hac esse sententia, ut si quando Famuli comestibilia degustent, non statim eos peccati esse damnandos. At vero asserere, quod furta minima famulorum ex comestibilibus non coalescant, salvo meliori judicio, a nimia laxitate non excusantur. (NOTA EX EDIT. ROM.)

ubi non est peccatum, et in dubio stat præsumptio pro Domino. Castropal. Rebell. et alii cum La Croix loc. cit. n. 273 (3).

(17. Famuli, et Famulæ coacti laborare die festo, si non audeant recusare, ex quo prudenter timeant se posse Dominos suos ad gravem indignationem commovere, et inde sibi magna evenire incommoda, possunt aliquoties licite laborare. Quod si tamen frequenter contingit, eos deserere debent. Layman lib. 4. tract. 7. cap. 4. num. 3. Illung t. 5. num. 177. La Croix lib. 3. part. 1. num. 595. Busemb. lib. 3. part. 1. tract. 5. cap. 1. dub. 2. Suar. et alii passim. (18. Famuli, et Famulæ excusantur ab audienda Missa die festo, si ministerium quod præstant, secundum communem æstimationem, et vivendi modum sit necessarium, et non permittat audiri Missam, ut domum custodire, greges educere, si pastores ovium et armentorum, et similes non habeant alios quos ad pecorum, aut domus custodiam relinquunt, nec possint diversis horis, et alternis vicibus omnes Sacro interesse. Communis. (19. Famuli, et Famulæ nequeunt licite famulari Judæis in propriis domibus, cap. *Judæi* 5. cap. *Ad hæc* 8. c. *Nulli* 19. de *Judæis*. (20. Licet tamen eis famulari extra proprias domos, v. g. conducî ad operas, esse Colonum, vel Agricolam, ut patet experientia; hi enim proprie non sunt servi. Ita Layman lib. 2. tract. 1. c. 16. num. 1. La Croix lib. 2. num. 86. qui ibidem subjungit: (21. Item licebit die sabbati eos adire, et illis coquere. At rectissime faciunt Ordinarii illi, qui hoc expresse vetant, ut sapientissime, et justissime fecit D. Albertus Mugiasca Episcopus Alexandrinus, in Edicto edito 30. Januar. 1686. ibi: « Comandiamo a tutti li Fedeli di Gesù Cristo consegnati alla nostra Custodia l'osservanza di quanto dispongono li suddetti Concilii Provinciali, proibendo sotto pena dell' Interdetto personale dall' ingresso della Chiesa tanto agli Uomini, quanto alle Donne, . . . l' andare il Venerdì alla sera, ed il Sabato nelle case loro per accenderli il fuoco, scaldarli il letto, e far altri esercizi vili, e di manifesta servitù. »

(22. Non licet famulari hæreticis, si ob conversationem illam Famuli, et Famulæ sint in periculo proximo deficiendi a Fide; sed tales tenentur statim discedere cum quocumque etiam incommodo, quia non licet permanere in proximo periculo peccandi. Unde Innocentius XI. die 2 Martii 1679. merito damnavit sequentes propositiones 62. in ordine: « Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit, » et 63. in

(2) Non modo probabilis est, sed plane certum, mortaliter peccare famulum, et quidem toties, quoties formaliter actione sua heri peccato cooperatur. Vide Milante, Exercitat. XXVIII. in propositiones damnatas a Ven. Innocentio XI. (EDIT. BARBIELL.)

(3) Debet tamen Famulus dubium, suspicionemve, si quam forte imbuat animo, deponere. (EDIT. BARBIELL.)

ordine: « Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi. »

(23. Nec etiam licet Famulari hæreticis, si Famuli, et Famulæ impediuntur ab observatione præceptorum Ecclesiæ, v. g. quia debent negligere Missam, laborare serviliter diebus festis, carnes comedere diebus vetitis, et hujusmodi, nisi excuset notabile incommodum, uti recte Navarr., Sanch., Layman, Bonac. et alii communiter cum Castrop. tom. 22. quæst. ult. n. 6. La Croix ibi. 2. n. 103. (24. Possunt tamen Famuli licite famulari hæreticis, nec tenentur deserre ipsos Dominos hæreticos, quando impediuntur ab observantia præceptorum Ecclesiæ, v. g. ab audiendo Sacro, et hujusmodi, ex justa causa, quia nempe occupantur in ministerio juxta communem æstimationem, et vivendi modum necessario, uti si debeant educere et custodire gregem, vigilare in excubiis militaribus, navigare in mari per aliquot menses, et hujusmodi. Et ratio est, quia illa etiam apud Dominos Catholicos excusant ab auditione Sacri, et hujusmodi, uti fuit dictum supra num. 18. Sic Layman, Sa, Gobat, cum La Croix loc. cit. num. 105. (25. Famuli tamen, et Famulæ, priusquam se obligent famulari hæreticis, debent expresse pacisci quod non impediuntur observare præcepta Ecclesiæ, aliter se exponerent proximis periculis illa non observandi, et sic peccarent. Communis.

(26. Famuli, et Famulæ, quamvis judicent salarium suum esse nimis parvum, non possunt retinere pecuniam aliunde suis Dominis debitam. Sic cum variis aliis Carden. in 2. Cris. dis. 23. a num. 66. La Croix lib. 3. part. 1. num. 972. (27. Nec Famuli, et Famulæ Sartorum, licet judicent salarium suum esse nimis parvum, possunt retinere fragmenta panni, fila serica, et hujusmodi. Et idem dicendum videtur de ipsis Sartoribus, seu Magistris, si invitis illis, qui vestes constituunt, retineant ejusmodi reliquias. Sic Villalob. Diana, et alii Lugo dis. 16. n. 83. et 85. cum La Croix loc. cit.

SUMMARIUM.

1. ad 4. Femina non est capax Ordinum. — 5. ad 7. Est tamen capax jurisdictionis, et quid possit hoc titulo. — 8. ad 12. Jurisdictionis actus, qui a Femina nequeunt exerceri. — 13. ad 19. Femina, quoad vestium et ornamentorum honestatem. — 20. ad 50.

(1. Femina non est capax Ordinum; cap. *Novæ 10. de pœnit. et remis.* et est communis inter Catholicos cum D. Cyrillo super cap. 6. *Joann. D. Ambrosio* (sive Auctore Commentarii in Epistolas S. Pauli olim S. Ambrosio tributi) cap. 15. in *Epist. ad Roman. D. Chrysostom. in Epist. secund. ad Tim. II. D. Thomain 4. dist. 25. q. 2. art. 1.* et alii communiter. (2. Quidquid dixerint, et

(1) Sive ut apud S. Epiphanium loc. cit. ab Auctore, Quintilian, qui et Peputiani appellantur, Artyritæque ac Priscilliani. (EDIT. BARBIELL.)

num. 973. contra Sanchez, et alios. (28. Non censentur autem inviti, nec solent ordinarie talia fragmenta rependere illis, quibus vestes fractæ non reficiuntur. Quando autem Famuli, et famulæ possint, vel non uti occulta compensatione, vide verb. *Compensatio* per tot. ubi assignantur conditiones ad licitam compensationem requisitæ, et traditur etiam sequens propositio ordine 37. inter damnatas ab Innocent. XI. 2. Martii 1679. « Famuli, et Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. » (29. Quando, et de quibus Famuli et Famulæ possint facere eleemosynam, vide verb. *Eleemosyna*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Frequentes in foro sunt controversiæ Parochos inter et Regulares, circa administrationem Sacramentorum Famulis ipsorum Regularium, tum sepulturam eorumdem. Cæterum si agatur de Famulis non particularis alicujus Religiosi, sed Communitatis et præterea actu servientibus, intra eorum septa, et domos residentibus, tum viventibus sub eorum obedientia; scilicet non religiosa, sed servili, possunt iis Regulares administrare Sacramenta Eucharistiæ etiam tempore Paschatis, ac Extremæ Unctionis, nec non sepulturam dare, ut rescripsit S. Congregatio Concilii interpr. in Uratislaven. Jurium Parochialium 25 Januarii 1738.

(31. Patet hinc Regulares a Superioribus Ordinis tantum approbatos ad excipiendas confessiones non posse Sacramentum Pœnitentiæ administrare Famulis Communitatis tametsi habentibus mox dictas tres conditiones. Posse vero censet P. Gaudent. a Janua de *Visitat.* tom. 2. cap. 7. dub. 17. sect. 4. num. 39. si induant præterea *distinctum habitum a Sæcularibus*, ut sunt oblato, donati, Tertiarii. Immo addit, quod possint etiam eos absolvere a casibus, quos Episcopus sibi reservavit. Intelligit vero semper de iis qui Communitati servitium præstant.

FEMINA.

Quoad aspectus et tactus mala intentione. — 51. ad 54. Quoad munerum receptionem. — 55. Feminæ sexus in rogo sensu dicatur *devotus*. — 56. Successivæ polygamie novum exemplum. — 57. Expenditur dictum Ecclesiastici de mulieris beneficentia. 58. ad 41. Celebris de Femina regula juris. — 42. Ratio hujus prohibitionis.

fecerint Hæretici, qui feminas ad sacros Ordines admittebant, inter quos numerantur primo Cataphrygæ, quorum meminit De Ambrosius in *prima ad Timoth. c. III.* Secundo Peputiani, et Papuritæ (1), de quibus D. Epiphanius hæres. 49, Tertio Gnostici, de quibus Tertullianus lib. de *præscript. Hæret.* cap. 44. Ultimo Wicleffus, et Lutherus, qui docuerunt, mulieres sacri Baptisma-

tis fonte ablutas statim Sacerdotissas consecrari, de quibus Thomas Valdensis libro de *Sacrament.* c. 59. et Roffensis art. 13. contra *Lutherum*. (3. Nec officit, quod in Jure fiat mentio Diaconissæ (1), Presbyterissæ et Episcopissæ, ut in cap. *Diaconissam* 27. q. 1. et cap. *Mulieres* 19. dist. 32. et sæpe alibi. Non officit, inquam, quia, ut recte notat Baronius ad annum Christi 34. n. 280. Campanil. in *div. Juris Canonic.* rubr. 11. c. 2. Vasquez t. 3. in 3. part. disp. 245. c. 3. et alii passim, ipsæ feminae tali nomine appellabantur, non quod sic essent ordinatæ, sed quia Viri earum erant assumpti ad Diaconatum, Presbyteratum, et Episcopatum, et ideo uxores Diaconorum Diaconissæ, Presbyterorum Presbyterissæ, et Episcoporum Episcopissæ dicebantur, denominatione desumpta ab earum maritis. (4. Nec etiam officit id, quod ab aliquibus asseritur, quod quædam femina, Joanna nomine, ad Summum Pontificatum fuerit assumpta. Non officit, inquam, quia id, quod dicitur de Joanna, est mera fabula, talemque esse probant Bellarm. lib. 3. de *Pontifice Romano* c. 24. Baronius t. 10. anno Christi 833. num. 86. Papius Masson. Gallus in lib. de *Urbis Episcopis*, Onuphrius Panvinius in suis annotat. ad Platinam. Floremundus de Remundo in lib. *Error popularis de Joanna, seu pontifice dicta Papissa*, Graveson, Ursaya, et alii passim. Vide verb. *Ordo* art. 2. n. 26.

(5. Potest tamen Femina habere potestatem Jurisdictionis, quamvis non possit habere potestatem Ordinis. *Comm.* Hinc Femina succedens in aliquo Officio, seu Dignitate, quæ habeat aliquam Jurisdictionem annexam, quamvis alias capax non sit exercitii Curæ animarum, tamen efficitur capax, et potest per seipsam administrare Jurisdictionem, et committere exercitium Curæ Viro capaci talis potestatis, et Beneficia conferre, ut ducitur ex cap. *Dilecta, de Majorit. et obedientia*, et Rota part. 10. decis. 44. num. 23. et tenet Abbas in cap. *Cum Dilectus* num. 20. de *Consuetud.* Felin. in cap. *Cum venerabilis* numer. 36. de *Except.* Fagnan. in cap. *Judæorum 3. de Etat. et qualitat.* num. 14. Joann. de Selva de *Benefic.* q. 5. num. 1. et 5. et alii passim. (6. Unde Femina habens Jurisdictionem, ut v. g. Abbatissa, Priorissa, et hujusmodi, est capax conferendi Parochialem, et Parochum nominandi, et instituendi, quem Ordinarius ad regimen animarum idoneum approbavit, ut declaravit Sac. Congr. Concilii in una Mediolanens. 17 Dec. 1701. (7. Femina virtute talis Jurisdictionis potest cum legitima causa privare Clericos sibi subjectos Beneficiis jam illis collatis, auferendo scilicet quod illis dedit, nempe titulum, et possessionem, nam posita hac ablatione censetur Pontifex conferre jus spirituale, quia sicuti Beneficium confertur dependenter a designatione Feminae et col-

(1) Etsi uxores Diaconorum vocatas fuisse Diaconissas constat, præter has tamen alia fuerunt, quæ proprie Diaconissæ appellabantur, quæque iisdem fere ac Diaconi ritibus initiabantur, quamquam

latione tituli, et possessionis, ita etiam censetur conservari Jurisdictio a Summo Pontifice dependenter ab iisdem, quibus sublati etiam reliqua alia tolluntur; Rota part. 9. tom. 2. decis. 429. num. 10. et 20.

(8. Non potest autem Femina ipsos Clericos suspendere, prout suspensio est Censura Ecclesiastica, sicuti neque interdicere, aut excommunicare; nequit enim Femina Censuras ferre, quia caret spirituali Jurisdictione, ut colligitur ex cap. *Dilecta, de Majorit. et Obedient.* et Rota dicta part. 9. tom. 2. decis. 429. num. 17. et 18. (9. Femina quamvis sit docta, et sancta, non debet docere, maxime publice, textu expresso in c. *Mulier* 19. de *Consecratione*, ibi: « Mulier quamvis docta, et sancta, viros in Conventu docere. . . non præsumat. » (10. Femina in Ecclesiis debent tacere, 1. ad *Corinth.* cap. xiv. n. 34. et sequent. . . . ibi: *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit: Si quid autem voluit discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim Mulieri loqui in Ecclesia.* (11. Femina quamvis habeat jurisdictionem, ut Abbatissa, seu Priorissa in subditas, non potest publice benedicere, sed solum eo modo, quo parentes solent benedicere propriis filiis, cum munus benedictionis proveniat ex potestate clavium, quæ non competit Feminae. Communis. (12. Femina non potest pro ministro servire Sacerdoti ad Altare; sic expresse prohibetur in *Missali* § 1. de *Defectibus*, et in c. *Inhibendum*. 1. de *Cohabitat. Clericor. et mulier.* ibi: « Prohibendum quoque est, ut nulla femina ad Altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare. » — « Et si mulier, subjungit La Croix lib. 6. part. 2. num. 388, et si mulier in Ecclesia tacere debeat, uti habetur 1. ad *Corinth.* xiv. multo magis abstinere a ministerio altaris. »

(13. Femina, si tantum ex levitate utatur veste virili sine prava intentione, periculo scandali, et libidinis, peccat tantum venialiter, alias mortaliter; *Leuteronomii* enim cap. xxii. num. 5. sic præcisè habetur: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminae, abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Nullo autem modo, si utatur ex necessitate, quia necessitas facit licitum, quod alias est illicitum; cap. *Quoniam* 1. q. 7. cap. *Omnes 1. de Fer.* cap. *Consulti 3. de celebratione Missar.* cum multis similibus; in qualibet enim dispositione intelligitur excepta; cap. *Licet, de Pœnit. et remis.* (14. Femina tenetur etiam abstinere ab ornatu muliebri ex se nimis turpi, et ad lasciviam provocante, et hoc sub mortali, si prævideat aliquem in particulari probabiliter lapsurum. Et ratio est, quia nullum habet jus ad illum nimis turpem et lascivum ornatum, immo est ei prohibitus, adeoque tenetur ab eo abstinere ad evitandum peccatum

Ecclesiasticæ hierarchiæ membra nec essent, nec haberentur. Vide Chardonium *Histor. Sacramentor. de Sacramento Ordinis*, lib. 4. cap. 12. Confer verbi. Diaconissæ. (EDIT. BARBIELL.)